



Prezzo L. 1.800.-
Ai prenotatori L. 1.500.-

Sono aperte le prenotazioni
per i successivi volumi.

2

MEMORIE STORICHE
DELLA
DIOCESI DI MILANO
VOLUME VII



MILANO, 1960
DEPOSITO PRESSO LA BIBLIOTECA AMBROSIANA

semper ac predictis omnibus juramento fidelitatis de quo infra assente prefato Ill.mo et ex.mo Domino Domino Caesareo et locumtenente generali.

Quibus sit peractis prefatus R.^{mus} Dominus Dominus Ioannes Angelus archiepiscopus ad petitionem praefatorum Magnificorum Dominorum Aluysii et Julii de Confanoneriis praesentium ac suis nominibus quiusbuscumque acceptantium nec non et mei notarii et cancellarii (?) infrascripti persone publice nomine prefatorum de Confanoneriis et aliorum quorum interest et stipulantum contentus et confessus fuit recipisse et habuisse a praedictis de confanoneriis vassalibus suis debitam honorificentiam fidelitatem solitam consueta servitia et jura debita renuntiantes dicte partes suis et dictis non minibus antedictis reverentie honorificentie fidelitatis solita servitia et jura debita equi et baldechino copertura et taffete suprascripti et speii future prestationis et receptionis et receptorum omnium et singulorum non ita actorum et factorum et omni probationi et defensioni in continuum (?) et testium productioni in contrarium.

Insuper prefati magnifici Domini Galeaz Alexander fratres equites ac praedicti magnifici D. Iulius et Io. ambrosius omnes de confanoneriis in suas et predictorum consortium suorum animas dilatosi per prefatum R.^{num} Dominum Dominum archiepiscopum sacramento juraverunt et jurant ad sancta dei evangelia quod semper et perpetuo erunt fideles vasalli et obedientes prefato R.^{mo} Domino archiepiscopo pro tempore quam successoribus suis sedem archiepiscopalem intrantibus et non erunt scienter in facto consilio vel tratatu in quibus perdant vitam membrum vel honorem aut jus in aliquo ecclesie prefate ecclesie aut mala captione capiantur et si quid de eis senserint tractari vel conspirari illud pro posse impedient et si impedire nequibunt quam citius poterunt eidem R.^{mo} Domino Dominio archiepiscopo successoribusque suis ut supra fideliter et pro posse oretenus vel in scriptis intimabunt et si contingat per praefatum R.^{num} archiepiscopum vel successores suos guerram facere contra aliquos occasione defensionis bonorum praefate ecclesie, Pontifice et Cesare tamen mediolani dominio (?) successoribusque suis in sacro Romano imperio et dominio (?) mediolani semper exceptis si fuerint sibi auxilium et favorem prout possibile (!) fuerit eisdem secretum si quid commisserint nemini pandent vel per quod pandetur fatierit ad eius R.^{ml} D.D. Archiepiscopi damnum et ea omnia fatient et adimplebunt ad que fideles vasalli tenentur Dominis suis tam ex forma veteris quam nove forme fidelitatis.

De quibus omnibus et singulis praedictus R.^{mus} D. D. archiepiscopus nec non et prefati magnifici domini Gabriel Alexander Iulius et Ioannes antonius praesentibus et instantibus suis et dictis nominis

bus rogaverunt et rogan per me notarium et cancellarium infrascriptum publicum confici debere instrumentum unum et plura tenoris eiusmodi.

Actum in cathedralem sedem praedictam archiepiscopalem sitam in ecclesia praefata maiori mediolani. Interfuerunt testes praefatus Ill.^{mus} et ex.^{mus} Dominus Dominus Don Ferdinandus agonzagha Cesareus in dominio mediolani locumtenens et capitaneus (?) generalis natus quondam Ill.^{mi} Domini Domini (*spazio bianco*). Ill. et supremus cancellarius D. Franciscus Taverna filius quondam Ill. I. Spectabilis dominus Ludovicus varisius filius spectabilis d. Stephani et Magnus Iuris utriusque doctor dominus Ambrosius Curionus filius quondam magnifici parochie S. Michaelis subtus domum mediolani omnes testes idonei ad praemissa vocati spetialiter atque rogati.

11.

COSTITUZIONI DISCIPLINARI PER IL CLERO

(1550, 3 luglio Milano, Bibl. Capitolare D. n. 45)

« Joannes Angelus Arcimboldus Juris Utriusque Doctor, miseratione Divina Sanctae Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus etc. Universis et singulis tam Clericis quam Laicis cujuscumque ordinis, dignitatis, status, gradus, conditionis et præminentiae existant in Civitate et Diocesi nostra Mediolanensi commorantibus salutem in Domino sempiternam, et Edictorum nostrorum hujusmodi ac Constitutionum et monitionum nostrarum observantiam.

Sacra religio Christiana nusquam melius plantatur, aut plantata fovetur quam si nutrire ea quæ recta sunt, et quæ profectum virtutis impediunt, corrigere studeamus. Ea propter plura et plura mala Christifidelium animas a recta vivendi via multum distrahentia, quæ in Clero et populo nobis commisso, humani generis cooperante Inimico, jamdudum invenimus pullulasse et coaluisse, quantum cum Deo possumus, extirpare cupientes, ut debemus, quasdam Constitutiones, Edicta, et Monitiones, aliquorum etiam Jurisperitorum, et Prælatorum, ac consummatorum Virorum, et in similibus expertorum habitu participatione, facere proposuimus et facimus; quæ volumus diligenter et inconcusse observari, sub poenit. et modis infrascriptis. Et primò quod omnes prædicti observent omnia mandata et ordinata a Sacris Canonibus, modo et forma, prout in eis continetur: Et ultra, quia plerumque magis timeri solent poenæ personales aut pecuniariæ,

quam pœnæ et censuræ Ecclesiasticæ, sub pœnis personalibus et pecuniariis, mirabili Fabricæ Ecclesiæ et Templi Majoris Mediolani applicandis.

« Quod Sacerdotes, et alias in Sacris Ordinibus constituti, vel Beneficia Ecclesiastica, aut pensiones annuas, vel reservationes fructuum obtinentes, non teneant in eorum domibus vel alibi Concubinas, nec mulieres suspectas; et si quas habent, termino sex dierum eas expellant, ita ut ad eas, nec alias publicas vel privatas meretrices ipsi non accedant, nec ad eos illas seu illam admittant in eorum domos in quocumque casu, sub pœna scutorum decem auri, quotiens in aliquo contrafecerint, quorum tertia pars accusatori, qui secretus tenebitur, et reliquæ partes Fabricæ præfatæ Ecclesiæ Majoris Mediolani applicantur. Et si ultra duas vices contrafecerint, incurvant in poenam scutorum vigintiquinque pro qualibet vice, applicandorum ut supra. Et si forsitan perseveraverint in concubinatu, habentes Beneficia, illis privabuntur, et non habentes, carceri perpetuo mancipabuntur.

« Clericis, qui impudenti temeritate non erubuerint in locis publicis, vel domibus, ubi numerosus populus convenerit, choreas ducere, aut ludere ad ludum prohibitum præsumpserint, et luserint, pœnam indicimus, aureorum decem pro prima vice, applicandorum ut supra; pro secunda viginti; pro tertia arbitrio nostro: Et si non habuerint modum solvendi, luent in corpore arbitrio nostro.

« Constituti in Ordinibus Sacris portent Clericam sive Coronam; si Presbyteri fuerint, latam quantum est Hostia quæ immolatur in Missis; alii verò, sicut est parva Hostia quæ datur Laicis, infra quindecim dies proximos sub pœna excommunicationis latæ sententiae, trinâ Canonica monitione præmissâ, et ulterius sub pœna scutorum decem pro qualibet vice, applicandorum ut supra, et prout supra.

« Sacerdotes et alias in Sacris Ordinibus constituti, sive Beneficia Ecclesiastica, aut annuas pensiones, vel reservationes fructuum obtinentes, termino decem dierum induantur vestibus superioribus usque ad talos, et Curati addant Caputum, et omnes Clerici beneficiati, aut pensiones sive reservationes fructum obtinentes portent biretum, ut communiter defertur ab omnibus Beneficiatis residentibus in Ecclesiis; et per Civitatem, Suburbia, Terras, et Oppida sine ense et pugione eant, nec deferant annulos in digitis, neque induantur vestibus coloris alterius quam nigri, aut taneti, aut alias a jure permissi, et non sint vestes sericeæ, nisi sint Prælati, aut Doctores, vel Canonici Ecclesiæ Majoris Mediolani, aut qui (detractis oneribus) habeant redditus annuos saltem scutorum ducentum; qui dumtaxat deferre possint superiores vestes Ormesini, vel tabeti; Et vestes in-

teriores sint longæ usque ad genua, et possint esse sericeæ, dummodo non habeant aliqua ornamenta; neque deferant Calzonos aliquo modo ornatos, sed de puro et proprio panno existant. Aliter in quolibet casu prædicti omnes cadant ipso jure in pœnam scutorum viginti, et eo modo quo supra applicandam, quotiens aliter fecerint tam in Cicitate, quam in tota Diœcesi nostra; pluviarum et nivium tempore excepto, in quo possint deferre gabanos honestos; et calceos non habeant strictos, neque per lasciviam incisos, sub pœna simili. Nolumus tamen in hoc nostro Edicto comprehendendi Dominos Senatores. Sed ut pauperum Clericorum rationem habere videamur, indulgemus pauperibus ipsis terminum mensium trium pro vestibus superioribus et inferioribus, et subtaneis tantum faciendis; intereaque liqueat solitos sagulos, non tamen bigaratos, et subtanas, et vestes superiores deferre, et pœnam pro dicto tempore non incurrere. Ceterum dicto tempore elapsò fiet inquisitio, et procedetur contra eos, et irremissible punientur.

« Domus Canonicarum, et quæ Ecclesiis contiguae sunt, seu ad usum Beneficiatorum sunt deputatae, in Festo Sancti Michaëlis proximè futuro, et abinde in antea locentur Residentibus in dictis Ecclesiis et illis deficientibus, alii Sacerdotibus; quibus etiam non existentibus, dentur Clericis honestae vitæ, ita ut a Laicis habitari omnino non permittantur, sub pœna ammissionis Ficti, pro una tertia accusatori, qui secretus tenebitur, et aliis Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani, applicandi... pro prima vice; pro secunda autem ammissionis. Ficti duorum annorum, applicandi ut supra, et nihilominus Laici expellentur; exceptis tamen Cancellario, et aliis ad servitutem nostram existentibus, quo ad Domos Palatio nostro contiguas tantum.

« Quilibet habens Beneficia tam Curata, quam non Curata, Capellas et Altaria, termino mensium duorum in eis resideat, seu eis deserviat per seipsum, et non per alium, nisi quoad incompatibilia, et tunc deserviat per personas idoneas, nobis tamen præsentatas, et per nos in scriptis approbatas, sub pœna scutorum vigintiquinque, pro tertia accusatori, et reliquis præfatæ Fabricæ applicandorum, et alia graviori arbitrio nostro. Volumusque, ut illi qui plura Beneficia obtinent dispensationem requirentia, debeant infra menses duos proximos dictas dispensationes præsentasse in manibus nostri Cancellarii, per nos seu Vicarium nostrum Generalem videndas, sub pœna ammissionis Beneficiarum, a quibus expellentur, et de eis aliis providebitur.

« Nullus Presbyter admittatur ad celebrandum in Ecclesiis Civitatis et Diœcesis Mediolanensis, qui sit incognitus, sine nostra in scriptis speciali licentia, sub pœna sic permittenti scutorum trium

applicandorum ut supra et prout supra, et talis celebrans cadat in poenam standi in carceribus, tribus diebus in pane et aqua alendus.

« Nullus Sacerdos celebret nisi unam Missam singula die, excepto Nativitatis Domini; alias a Divinis suspendatur pro prima vice per mensem unum, et in scutis decem auri applicandis ut supra condemnetur: Pro secunda vero, ultra suspensionem, solvat scuta viginti, scilicet tertiam partem accusatori qui secretus tenebitur, et reliquas præfatæ Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani; pro tertia puniatur eadem poenâ, et etiam corporali, arbitrio nostro.

« Fratres, Monachi, et Moniales, qui et quæ a propriis locis et Monasteriis recesserunt, compareant, et termino viginti dierum doceant nos, quo jure prætendunt, posse stare extra eorum loca, aut tenere Ecclesias Seculares, præcipue Curatas; alias capientur, et spoliabuntur habitu Seculari Presbyterorum, et non relaxabuntur, donec fuerit cognitum de eorum recessu, et punientur poena corporali, et pecuniaria, Fabricæ Ecclesiæ Mediolani applicanda arbitrio nostro. Moniales vero repartæ extra Monasteria, cujuscumque Ordinis et Religionis existant, exceptis Conversis, capientur, et detрудentur in carceribus et compedibus in suis Monasteriis, sub poenitentia ibi standi in pane et aqua, ad nostrâ beneplacitum; et aureos duos solvent accusatori, et seu Barueriis.

« Clericus si quis reperiatur in quocumque Ordine constitutus et Dignitate, qui se audeat executionibus et aliis mandatis nostris, seu Vicariorum nostrorum, aut quovis modo attemptet impedire, quominus ea exequantur, plectatur poenâ scutorum vigintiquinque, pro tertia accusatori, et reliquis Fabricæ præfatæ applicandorum; et si non habebit in ære, tradetur carceri per dies quinquaginta in pane et aqua alendus, vel suspendetur per annum a Divinis. Si vero fuerit Laicus, punientur poenis, a Novis Sanctionibus per Majestatem Cæsaream, ejusque Excellentissimum Senatum editis.

« Prohibemus insuper Presbyteris et aliis Beneficiatis, ne audieant præstare, et seu aliquo modo facere Duodenam Laicis: Contra facientes in poenam scutorum quindecim auri applicandorum ut supra, pro qualibet vice incident. Eadem poenâ etiam punientur illi, qui artes et exercitia laicalia, feu Religiosis non convenientia reperientur exercere.

« Volumusque, ut omnes Sacerdotes Missas celebrantes, termino quadridui tondere faciant partem barbae supra os, ita quod labium superius non attingat, sub poena scutorum sex auri, applicandorum ut supra pro qualibet vice, qua reperti fuerint contravenisse.

« Si quis Clericus, et qualificatus ut supra, falsum testimonium dixerit, ut aliquis condemnetur in Causa criminali, puniatur eâ poenâ

qua puniendus esset ille, contra quem falsum testimonium dixerit, si delictum, pro quo imputatus erat, commisisset. Ubi verò pecuniarâ poenâ mulctandus esset, is testis condemnetur in quadruplum illius rei, pro qua falsum deposuisset, et alias arbitrio nostro. E converso si quis in Causa criminali falsum dixerit, ut quis nocens absolvatur, puniatur illâ poenâ qua puniendus erat ille, pro quo deposuisset, si nocens esse convictus fuisset. Si vero in pecuniaria falsum ad absolvendum reum deposuerit, puniatur in quadruplum, applicandum ut supra. Qui vero scienter et dolose in Causa criminali falsum vel falsos testes produxerint, vel produci fecerint, vel eis scienter et dolose usi fuerint; et interrogati, si velint uti dictis testium, vel testibus, ad terminum per Judicem statuendum respondiderint, se velle uti, puniantur poenâ falsi, a Canonibus et Legibus inficta. Quòdque si interrogati, clare respondere teneantur ad dictum terminum; quòd si non respondiderint, habeantur perinde ac si nollent uti. Ulterius testis falsum deponens, et eum scienter ut supra producens, in solidum teneantur (unica tamen solutione sufficiente, realique et personali actione) ad resarcendum damnum et interesse causatum ex præmissa causa. Si quis verò falsum dixerit, ut quis absolvatur vel condemnetur in Causa Civili, condemnetur ut est dictum, et ulterius in Scutis decem auri, applicandis ut supra; eademque poenâ tenebitur producens, et ut supra, et quilibet eorum in solidum ad satisfacionem damni. Punientur etiam iisdem poenis qui sollicitaverint aut operam dederint vel consilium, ut quis testimonium falsum dicat. Si vero fuerit Laicus qui testimonium falsum deposuerit, vel falsa depositione usus fuerit contra Clericum ut supra, condemnetur et punientur poenis, a dictis Novis Constitutionibus comminatis.

« Si quis autem Clericus, Sacerdos, vel Beneficiatus, aut Laicus in præjudicium Clerici in judicio falsum, vel non verum juraverit, in quadruplum condemnetus ejus pro quo juratum etiterit, pro dimidia Parti offensae, et altera dimidia Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani applicandum; modo dicatur ipsum juramentum falsum, seu non verum, intra bimestre continuum a die præstiti juramenti.

« Si quis etiam Clericus vel Sacerdos ausus fuerit alium Clericum seu Sacerdotem verbis contumeliosis afficere, aut provocare ad rixam, poena sit illi aureorum decem, applicandorum ut supra, et graviori etiam corporali, arbitrio nostro, inspectâ personarum et facti qualitate. Quòd si in Ecclesia id factum fuerit, vel extra Ecclesiam in locum publicum, poena duplicabitur.

« Clerici vel Sacerdotes, aut Beneficiati ut supra, blasphemantes nomen Domini Nostri Jesu Christi, seu Beatæ Virginis Mariæ, carceri mancipabuntur per mensem continuum in pane et aqua alendi,

et in Scutis decem condemnabuntur, applicandis ut supra, et prout supra. Pro secunda autem vice poena triplicabitur. Pro tertia vero punientur eadem poena qua Laici ex forma allegatarum Novarum Constitutionum puniri mandantur. Et si fuerit atrox blasphemia, punientur ultra praemissas poenas etiam corporali poena arbitrio nostro, et tradentur Curiae Seculari puniendi, inspectâ semper qualitate personæ et blasphemiarum, et in loco in quo blasphemaverit, et quibus præsentibus. Admittentur hæc notificationes et querelæ blasphemiarum dumtaxat intra mensem a die patrati delicti.

« Si quis Clericus et ut supra, fecerit robarium pecuniæ vel rei Ecclesiæ, valoris non excedentis dimidiæ unius auri, condemnetur pro prima vice in quadruplum, et per dies octo maneat in carceribus; pro secunda vice condemnetur in Scutis decem auri, applicandis pro tertia accusatori, et reliquis partibus præfatæ Fabricæ, et per dies quindecim maneat in carceribus in pane et aqua alendus; et pro tertia vice Beneficiis privetur; et si non habuerit Beneficia, suspendatur a Divinis per annum, et condemnetur in Scutis viginti quinque applicandis ut supra. Et si non habuerit in ære, per trimestre maneat in carceribus, alendus ut supra. Pro quarta vero vice condemnetur in poena pecuniaria, et etiam corporali, arbitrio nostro. Si vero excesserit sumimam dimidiæ unius auri, ad ratam et prorata duplicantur poenæ suprascriptæ, debite referendo. Si vero robarium fecerit de pecuniis et rebus profanis, condemnetur in dimidia poenarum suprascriptarum, debite et congrue referendo, et alias arbitrio nostro. Si vero Laicus fecerit furtum vel robarium de bonis et rebus Ecclesiæ, causâ per nos cognitâ punietur juxta dispositio nem Novarum Constitutionum, editarum a Majestate Cæsarea, ejusque Excellentissimo Senatu, et alijs arbitrio nostro.

« Si Clericus et ut supra, aut Laicus amodo molestaverit vel turbaverit, aut inquietaverit, vel molestari, turbari, seu inquietari fecerit aliquem vel aliquam personam, Ecclesiam, Scholam, Monasterium, Capitulum, seu Universitatem, vel Secularem in aliqua ejus possessione vel quasi rei immobilis, vel juris inhærentis alicui rei immobili, vel fructibus Decimæ, vel jure Decimationis, vel in quacumque re immobili, puniatur et condemnetur, ultra poenas a Canonibus inflictas, in libris centum Imperialibus pro quolibet eorum, et minus arbitrio nostro, vel Vicarii nostri Causarum Criminalium, secundum qualitatem delicti, et personae delinquentis, pro dimidia Parti offensæ, et altera prædictæ Fabricæ applicandis. Et nihilominus teneatur et debeat dimittere molestatum, inquietatum, vel turbatum in pacifica ejus possessione vel quasi; et insuper condemnatur, quod in futurum non debeat ipsum molestare, inquietare, nec

turbare sub poena arbitrio nostro, vel Vicarii nostro Causarum Criminalium, condemneturque, si in judicio indebet se opposuerit, etiam in omnibus expensis per querelantem factis.

« Ordinamus insuper, quod nullus Sacerdos, neque alius in habitu Ecclesiastico incedens audeat sub quocumque titulo, etiam paupertatis, associare Matronas, neque alias mulieres, licet illustres, in Locis publicis, neque in Ecclesiis, sub poena decem aureorum pro quolibet vice, applicandorum ut supra et prout supra, et suspensionis a Divinis per bimestre, et capi poterit ubique locorum reperiatur in actu.

« Clericus et ut supra, carnali copulâ cognoscens Monialem professam, incedentem tamen in habitu, in Monasterio, sive extra Monasterium, privabitur Beneficiis, et ulterius degradabitur, et Curiae Seculari tradetur, juxta Canonicas et Civiles Constitutiones puniendas, et ita per nos privabitur, degradabitur, et tradetur.

« Omnes Notarii quærant inter eorum Instrumenta hinc ad menses sex omnia Legata pia, et dent de eis Notam nobis, ut possit satisfieri animabus Defunctorum, et exonerari conscientiæ gravatorum: Et satisfiet ipsis Notariis de eorum mercede, sub poena excommunicationis, quam trina admonitione præmissa in iis scriptis serimus, et ulterius poena damni, quod ipsa Pia Loca propterea patientur.

« Usurarii publici, et qui contractus usurarios et illicitos soliti sunt exercere, de cetero abstineant; alias contra eos etiam pro præteritis ex officio procedetur; non derogantes tamen tertio interesse prætendant, in utroque examini Vicarii nostri hæc omnia submitentes.

« Laici concubinarii uxorati, intra octo dies proximos recedant a concubinatu, et adhæreant uxoribus suis, et Concubinæ viris earum, sub poena excommunicationis latæ sententiæ, trina monitione præmissa, et ulterius sub poena Scutorum vigintiquinque auri applicandorum pro tertia accusatori, et reliquis partibus Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani. Et si non habuerint in ære, luent in corpore arbitrio nostro, et dehinc graviori poena secundum perseverantium eorum in Concubinatu, et qualitates personarum.

« Festivitates obseruentur iuxta ordinata in Constitutionibus Cæsareis, et ultra sub poena excommunicationis latæ sententiæ, trina monitione præmissa, ac etiam sub poena arbitrio nostro infligenda

« Et quoniam in Concilio Lateranensi determinatum est, quod Monasteria Sanctimonialium, si quisquam Clericus sine manifesta et rationabili causa frequentare præsumperit, per Episcopum arceatur; et si non desierit, ab Officio Ecclesiastico reddatur immunis; si Laici excommunicationi subdantur, et a Coetu fidelium penitus alieni: Et nos, cui præcipua cura esse debet, Sanctimoniales nedum a committendis excessibus compescere, verum etiam omnem penitus

suspicionem talia committendi a mentibus omnium avertere; et cogitantes, quantis humani generis Hostis subtilitatibus armetur ad vias fallendi, et mentes (præcipue sexus fœminei) illaqueandi; et quod quos Dei timor non movet, et a malo non avertit, saltem coercent timor, et severitas disciplinæ: et quia poenæ Canonum plerumque negliguntur, personales verò et pecuniariæ magis timentur: Igitur auctoritate nostra officii Archiepiscopalnis a Deo, et Sancta Sede Apostolica nobis commissi, et eo meliori modo, jure, via, causa, et forma, quibus magis et melius secundum Deum et Sacros Canones possumus et debemus, edicimus et hoc nostro perpetuo Decreto censemus, quod prædictus Canon de cetero ad unguem servetur, sub poena in eo apposita tam in Civitate, quam in tota Diocesi nostra. Et ulterius, si Clericus Religiosus cujuscumque Ordinis, seu Secularis fuerit, cadat in poenam Scutorum quindecim, et in carceribus maneat per mensem pro prima vice, qua sine manifesta causa, iverit ad Monasteria; pro secunda vero vice privetur Beneficio, si quod habuerit; et ulterius et ipse et quilibet Clericus, qui Beneficium non habuerit, ultra poenas dicti Canonis condemnabitur in Scutis virginique, et in carceribus per bimestre manebit. Et si non habuerit in ære, luet in corpore, stando in carceribus in pane et aqua, aliis diebus quinquaginta, aut alia graviori poena, arbitrio nostro imponenda. Pro tertia vero vice poena duplicabitur, et alia, arbitrio ut supra. Si verò fuerit Laicus, ultra dictam poenam Canonis, condemnabitur pro qualibet vice in Scutis quinquaginta auri; et si non habuerit in ære, luet in corpore tribus ictibus equulei in publico; nec absolvatur ab excommunicatione prædicta, nisi in forma Ecclesiæ consueta. Et ut quantum fieri potest, hæc forma servetur, ad obviandum disputationibus super dicta manifesta et rationabili causa, volumus et ordinamus, quod nulla persona etiam a jure permissa praesumat accedere ad aliquod Monasterium ut præfertur, nisi expressâ nobis causâ, propter quam prætendat ad hujusmodi Monasteria posse accedere. Et propterea etiam monemus omnia Monasteria, quatenus termino trium dierum in Civitate, et extra Civitatem dierum quindecim, dent in scriptis omnia nomina eorum, qui habent eis necessariò inservire, ut sunt Medici tam Physici, quam Chirurgici, Aromatarii, laborantes in Monasterio circa penum, ligna, et his similia, et portantes blada in Solario, et conducentes victualia, et Mercatores, qui dant eis ad laborandum vere, et afferentes de more et consuetudine munera pro Monialibus etiam singularibus, quoniam Monasterio, dabitur et non dabitur licentia pro prædictis personis, de quibus assumentur informationes, prout nobis videbitur. Dabitur etiam licentia aliis, intellectâ causâ: quæ omnes licentiæ omnibus gratis dabuntur.

« Si autem prædicta, vel aliqua ex eis non fuerint observata, monentur omnes, quod capientur et punientur irremissibiliter, ut est dictum, et accusatori dabitur tertia pars poenæ pecuniariæ, et secretus tenebitur; reliquæ verò partes solventur Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani.

« Revocantes insuper, dignis respectibus animum nostrum mortentibus, omnes et quascumque licentias ad Monasteria eundi, hinc inde quomodolibet quibuscumque concessas.

« Si verò mulieres fuerint, cuiuscumque status, gradus, et conditionis existant, non præsumant intrare aliquod Monasterium, sed dumtaxat possint mulieres honestæ accedere ad Parlatoria, et Moniales alloqui, in præsentia tamen Superioris, seu Discretarum ipsius Monasterii, sub pena excommunicationis latæ sententiæ, quam canonica admonitione præmissa in his scriptis ferimus, et tam contra ipsas Moniales recipientes, quam mulieres intrantes, exceptis dumtaxat Avia, Matre, et Sororibus, quibus, sine tamen pedissequis nec aliis personis, indulgetur, ut tantum bis in anno Monasteria volentia ipsas recipere, ingredi possint; a qua excommunicatione non poterunt absolvi, nisi in forma Ecclesiæ consueta.

« Nullæ Moniales præsumant accipere in earum Monasteriis alias mulieres in Duodena, quæ excesserint duodecimum annum suæ ætatis, nisi expressâ nobis causâ, propter quam velint eas accipere; quæ si justa videbitur, licentia in scriptis gratis concedetur; sine qua incurvant poenam Scutorum decem, et excommunicationis sententiam tam recipientes, quam intrantes, ut præfertur; a qua non absolvantur, nisi in forma Ecclesiæ consueta. Ordinantes insuper, quod Mulieres Seculares de præsenti in quibuscumque Monasteriis, cujuscumque Ordinis et Religionis sint, existentes, ut termino decem dierum proximorum excludantur a Monasteriis ipsis, sub pena Monasteriis mulieres ipsas non excludentibus, excommunicationis ut supra, et Scutorum decem auri, pro tertia accusatori qui secretus tenebitur, et pro aliis duabus partibus Fabricæ Ecclesiæ Majoris Mediolani applicandorum; et mulieres ipsae a Monasteriis ipsis per vim expellentur, et spoliabuntur.

« Et quia in multis Monasteriis in Civitate et Diocesi nostra consistentibus inolevit quædam corruptela in quibusdam anni Solemnitatibus, et præcipue Sancti vel Sanctæ, sub cuius invocatione sunt ipsa Monasteria, et pro Missis Defunctorum, ut convocent Presbyters et Laicos, ac Cantatores in discantu qui appellatur cantus effiguratus, cum tubis Corneis, seu Cornetis, et fiunt magna convivia et commissationes in talibus Monasteriis seu Forestariis eorum, ex quibus non modica scandala et suspiciones oriuntur, et Monasteria depauperantur; statuimus, quod de cetero prædicta non siant, et

pro talibus Solemnitatibus, aut Missis pro mortuis celebrandis, non invitent ultra Presbyteros seu Fratres duodecim, cum tribus aut quatuor Clericis; et quod eis et aliis non detur aliquo modo ad commendendum, sed dentur pecuniæ pro eleemosyna, et eorum labore. Quod si danda fuerit refectione propter venientes a longè, detur in aliqua domo remotâ et totaliter separatâ a Monasterio, quod non possint voces eorum audiri a Monialibus. Et si contra factum fuerit, Monasterium cadat in poenam Scutorum vigintiquinque, applicandorum pro tertia parte accusatori, et secretò tenebitur, et pro aliis præfatae Fabricæ. Presbyteris autem, aut Fratribus et Laicis imponeatur poena expressa in Superioribus Decretis nostris, ubi sancitum est de prohibitione eundi ad Monasteria: Et Abbatissa quæ supremum gradum in eo Monasterio obtinebit, privabitur loco suo, et voce activa et passiva.

« Nulla mulier Religiosa cujuscumque Ordinis egrediatur Monasterium suum, sine nostra in scriptis speciali licentia, exceptis Conversis, sub poena excommunicationis ut præfertur, et standi in compedibus per mensem et plus arbitrio nostro: Monentes eas omnes, quod si fuerint inventæ, capientur et carcerabuntur; et accusator seu Baruerii habebunt aureos duos pro qualibet notificatione seu detentione, solvendos per contrafacientes.

« Ducentes Moniales earum Monasteria sine nostra in scriptis speciali licentia punientur poena Scutorum centum, præfatae Fabricæ pro duabus partibus, et pro tertia accusatori, qui non propalabitur, et

« Ducentes Moniales extra earum Monasteria sine nostra in scriptis speciali licentia punientur poena Scutorum centum, præfatae Fabricæ pro duabus partibus, et pro tertia accusatori, qui non propalabitur applicandorum, et ulteriori poena etiam corporali, arbitrio nostro.

« Nullus Servitor seu Famulus retineatur intra clausuras Monasteriorum, et præcipue non pernoctet, sub poena Abbatissæ suspensionis ipso jure et facto; et famulo ictuum duorum equulei in publico, aut flagellabitur publicè.

« Nemo ingrediatur Monasteria ad laborandum in penu aut Solario, aut pro lignis incidentis et aliis similibus, nisi excedat ætatem annorum quadragintaquinque, et ibi permaneat, nisi pro necessitate ejus quod opus fuerit; et si inventus fuerit in aliis locis Monasterii, præterquam ubi necesse habet operari, ponatur ad catenam, aut in berlina per quatuor horas; et credetur fideliter referenti cum juramento.

« Nulli Fratres aut Presbyteri cujuscumque præminentiae et conditionis existant, præsumant intrare Clausuras Monasteriorum;

sed solum Confessor cum socio, et Visitator cum socio, et non ultra, qui saltem excesserint quinquagesimum annum eorum ætatis, possit ire ad Parlatoria tantam, sub poena standi in carcere per dies quindecim in pane et aqua, et ultra arbitrio nostro, etiamsi quomodo cumque habeant Sorores, aut alias personas eis conjunctas in ipsis Monasteriis; et hoc, nisi Moniales ipsæ jacerent infirmæ, adeo quod non possent ire ad loca deputata pro Confessionibus audiendis.

« Nulli fratres, exceptis præfatis Confessoribus et Visitatoribus, aliquo tempore comedant in Forestariis, aut aliis locis intra primam Portam Monasteriorum, sub poena carceris, et ut supra, et ulteriori, arbitrio nostro. Et monentur, quod si inventi fuerint, capientur et carcerabuntur; et si equos habebunt, tradentur pro tertia accusatori, et reliquis partibus, Officialibus, non obstante aliquo privilegio, præcipue quia privilegia ad hæc se non extendunt, et ita se non extenderent tenore præsentium decernimus et declaramus. Idem dicitur de Presbyteris et aliis suppositis nostræ Jurisdictioni, tam Clericis Secularibus, quam Regularibus, et aliis Laicis quibuscumque.

« Si inventa fuerit aliqua persona cujuscumque status aut conditionis, præcipue de Conversis, aut aliis, deferentes Literas in Monasteriis, capientur et flagellabuntur etiam publice, prout visum fuerit opportunum.

« Omnia mala facta in Monasteriis, imputabuntur Abbatissæ, seu Matri, seu Priorissæ, aut Vicariæ, et Superioribus, et propter hoc deponentur ab eorum officio, et privabuntur voce activa et passiva, et aliæ deputabuntur earum loco, nisi præmissa Nobis aut Vicario nostro denunciaverint; Et hoc non attenta aliqua earum exemptione seu privilegio, qua et eo reddentur indignæ propter reatum, et accusatori cum teste fide digno, et juramento dabitur fides; et si fuerit accusatrix seu denunciatrix de Monasterio, tenebitur secreta, et habebitur ratio suæ diligentie et caritatis.

« Non negabuntur opportunitæ licentiæ gratis, re tamen honesta cognita per Nos; sed advertant impetrantes licentiam, quod per exploratores observabuntur, et male impetrantes, etiam licentiis concessis non attentis, capientur et punientur, ut prædictum est.

« Officiales aliquem delinquentem detinentes, teneantur statim illum consignare in carceribus; et quamprimum Vicario nostro Causarum Criminalium, seu Generali, aut saltem Cancellario nostro notitiam dare, nec audeant detentum sub aliquo prætextu relaxare absque nostrâ, seu Vicarii nostri speciali licentia, sub poena Scutorum decem aureorum pro dimidia accusatori, cui cum juramento et uno teste credetur, et altera dimidia præfatae Fabricæ applicandorum,

necnon et duorum ictuum equulei in publico pro qualibet vice, et alia graviori pœna etiam corporali, arbitrio nostro. Et si notificator erit unus ex ipsis Officialibus, qui detentum relaxavissent, vel ipse relaxatus, ipso jure sit liberatus, et pœna pecuniaria per complices et Officiales solvenda, ei tradetur.

« Si quis calumniosè detulerit aut notificaverit aliquem, condemnetur in expensis in duplum, Parti resarcendis eadem sententiâ qua reus absolvetur, ultra poenas a jure inflictas.

« In prædictis omnibus et singulis capitibus criminaliter tam ad denunciationem, quâm ex officio, et aliâs omnibus modo etc. procedetur per detentionem personæ, vel per inquisitionem ac præcepta pœnalia, et alia juris remedia, arbitrio nostro, seu Vicarii nostri Cavarum criminalium, vel Generalis, summarie, simpliciter, et de plano, ac sola facti veritate inspecta, et quibuscumque frivolis ac calumniosis exceptionibus non attentis, ac nullo dato Assessore, omnique appellatione, revisione, reclamatione, et nullitate remota, ac sublata; punienturque delinquentes irremissibiliter nedum recitatis pœnis, debite referendo, sed aliis gravioribus etiam corporalibus arbitrio nostro, secundum qualitatem casuum et personarum.

Et ne videamur concessionibus Apostolicis generalibus aut specialibus contravenire, mandamus omnibus et singulis tam Clericis, quâm in Prælaturæ Dignitate constitutis, quâm Religiosis, Monachis, et Monialibus cujuscumque Ordinis, status, dignitatis, Religionis, et conditionis existant, qui se prætendant aliqua privilegia et exemptiones a Sede Apostolica, aut a Sanctissimo Domino Nostro habere contra Nos, et nostram jurisdictionem, ut termino novem dierum, quos pro monitione canonica eis damus, debeant verè et realiter coram Nobis, aut Vicario nostro Generali, seu in Criminalibus speciali, et in manu Cancellarii nostri, et dictæ Curiæ infrascripti, exhibuisse, edidisse, et præsentasse dicta eorum privilegia, et jura dictam eorum exemptionem tangentia, ut possimus videre et considerare quid Nobis incumbat circa talia, quia parati erimus mandata Apostolica exequi, et eis parere. Ceterum non comparentibus et non exhibentibus dicta jura, privilegia, et exemptiones, aut ubi illa non obstant, nostram Ordinariam auctoritatem juxta Sacrorum Canonum dispositionem exercebimus in quoscumque, qui in contrarium aliquid non ostenderint; quoniam nostra jurisdicção generalis a Deo est et Sancta Matre Ecclesia, et a Sacris Conciliis et Canonibus instituta.

« Placet etiam servari sacrum Institutum circa observationem Sacramenti, et Orationum hactenus institutarum et observatarum, mandantes sic servari, ut adhuc servatum est, et non cessari. Ce-

terum impedites, aut non observantes, aut scandalum in prædictis facientes excommunicamus ipso jure; trina Canonica monitione præmissâ; reservata nobis facultate etiam eos puniendi pœna pecuniaria, aut personali, prout nobis visum fuerit.

« Scholæ omnes Disciplinorum, et aliorum Consortiū, et Piorum Locorum Civitatis et Dicecessis nostraræ Mediolanensis a quinquaginta annis citra erectorum seu institutorum, intra trimestre proximum ad Nos in manibus nostri Cancellarii infrascripti deferant eorum fundamenta Scholarum et Congregationum, ut possimus cognoscere, quid confirmandum tollendumque sit; alioquin omnia abrogabuntur.

« Scituri, quod nos et auctoritate ordinaria, et ex mandatis Apostolicis descensuri sumus ad videndum et rimandum, quid et quantum ad nos spectet circa præmissa, ne negligentiae aut desidiae arguamur, et sanguis pauperum a Nobis et manibus nostris exquiratur.

« Sciant etiam omnes Religiosi cujuscumque sexus, et Scholæ, et Pia Loca, et alia Nobis supposita mediate vel immediate, vel aliquo quocumque iure devolutivo aut suppletivo, quod Nos pro munere nostro et officio Nobis incumbenti veniemus, quando nobis visum fuerit, ad visitandum omnia Monasteria. Scholas, et Loca cuiuscumque sexus et conditionis existant, et quod visum fuerit secundum Deum et Sacros Canones expedire, faciemus et proficiemus. Quod si quis interim prætentat, hæc per Nos fieri non posse, adducat jura sua in manibus Cancellarii nostri et eis cognitis, nemini ut præfertur faciemus injuriam; verum omnibus præsto erimus et favebimus pro justitia, aequitate, et honestate, omnia secundum Deum et caritatem proximi ex corde dispensantes.

« Et super hæc omnia sciant cuncti, Nos non pro Nobis, sed pro Deo, et bene beateque vivendi necessitate, pro omnibus Nobis et vobis hanc Dignitatem et opus assumpsisse, et ad id festinare, quod Deo Optimo et Maximo, et populo nostro in visceribus caritatis Nobis dilecto, gratum et utile esse possit et habeatur.

« In quorum testimonium præsentes fieri jussimus, et sigilli nostri impressione communiri. Et ut hæ nostræ ad omnium notitiam verisimiliter pervenire habeant, valvis Ecclesiæ Majoris nostræ Mediolanensis, et in aliis Locis publicis et consuetis apponi jussimus per quemlibet Servitorem Curiæ Archiepiscopalum nostræ Mediolani, vel alium Nuncium nostrum cum juramento, cui plenam dabimus fidem. Datum Mediolani, in Palatio Archiepiscopatus nostri, die Jovis tertia Julii, millesimo quingentesimo quinquagesimo, octava Indictione, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri, Domini Julii Papæ Tertii, anno primo.